

Letter 369: [October 1528], Andreas Cellarius [Keller] to Capito

The manuscripts of this letter is in Strasbourg, 1AST 40, # 66, f. 444.

Favorem ac patris benignitatem per Christum, optime Capito!

Fratrem, quem aliquando literis commendatitiis ad me mittebas, adhuc nobiscum commorantem habemus, quem, si deus faverit, junckherus ille, qui hic praefectum agit, in verbi ministerium praeferturus est in pago Bischweiler; quandoquidem Gervasius illinc[?] recedere  
 5 coactus est. Id autem quo citius fieret velim, ut vel tu vel alii, quamquam lubentius id a te quam ab alio fieri cuperem, junckherum literis admoneatis, ne diferat ac ne mutet sententiam, propter adversariorum querelas ac minas. Adversantur enim illi maxime papistae qui sunt de capitulo, ut vacant apud divinum Petrum Seniore[m] Argentinae, sunt enim collatores sacerdotii in  
 10 Bischweiler. Adversatur et ex altera parte civis quidam argentinensis nomine Baeger, qui et partem juris ditionis illic habet. Subditi vero vehementer verbum desiderant, semel enim atque iterum rogant venerunt, quo illis prece daretur verbi. Proinde vide et considera quo pacto res aggredienda foret. Si autem ea de re quid scribis, non scribe quasi a me instigatus sed tanquam de rumore communi hec resciveritis, non enim clam est, illum hunc habere propositum, scripsit enim de hac re praeposito atque decano collegii apud San. Petrum, quamquam adhuc nullum  
 15 dedere responsum. Ceterum cum revolvo concordantias hebraeas saepius hae tres mihi obviae sunt literae [3 Hebrew letters: waw, gimel, waw; the last one has a mark that is probably an “o” vowel], ubi divinare non possum quid denotent. Item in biblia greca, quae sub prelis Wolfii Cephalii excussa est, abbreviationes invenio quas alias nunquam vidi, quae me ambiguum reddunt, quo pacto legendae sint. Inter quas haec annotavi: “S” – id lego pro [Gr.] *epi*, “G” – id lego pro [Gr.] *et*, *es*, etc. De re autem missaria quid ageretur [??] apud vos Argentinae literis, si praeter otium licuerit, me certio[m] facite. Vale et familiam tuam fratresque saluta. Andreas  
 20 Cellarius tuus.